Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1393
Quelle:
Copyright:



7) Responsum *Capistrani*, quod incipit: *Tuas honestas quales alii non dixerunt* &c. Ita locis omnibus mox *citt.* Sed certe legendum *direxerunt*; non enim *dicuntur* ad aliquem Literae, sed *diriguntur*. Subjectus est et hic Codicillus paullo corruptior: *Frater Johannes de capistrano ordinis minorum minimus et indignus manu propria me* (subscribo, quod) *non in contemptum fidelium bohemorum sed in spe et desiderio reductionis deuiorum ad vnionem ecclesie katholice et obedientiam summi presulis romani laicis sub vna tantum specie communicandum iuxta ritum et observantiam sacrosancte ecclesie prelibate efficaciter predico pro eterna sua salute.*

8) ἀδέσποτος Expositio Passionis Dominicae, quae per dialogum cum B. V. *Maria* ita ingreditur: *Dic si in Jerusalem eras quando captus fuit filius tuus et vinctus ad annam ductus. Ait illa. In Jerusalem eram et quando hoc audiui gressu qualicunque potui ad dominum meum vsque perueni* &c. Dialogum quis putet olim *Anselmo* tributum, sed a *Gerberonio* inter Spuria ablegatum edit. *Paris.* 1721. p. 488. Verum longe aliter procedit, et mox a colloquio in descriptionem deflectit, finitque: *donec ipsa die resurrectionis ab ipso dulcedine est consolata. Amen.* Quod Tractatio haec *Capistrani* Literis adjuncta est, quidni ad ipsum pertineat, praesertim *Waddingo* inter Opera ejus Scriptum *de Passione Domini* censente.

9) Post aliquot folia vacua habetur prolixa illa *Aeneae Silvii* ad *Joh. Carvajalium* Card. S. *Angeli* Epistola, qua suum cum *Georgio Podiebradio* refert dialogum, ut jam retuli *Vol.* I. P. 1. *col.* 503. et legitur in *Aeneae Opp. Basil.* 1571. *Epist.* L. I. *n.* CXXX. p. 660. f.

10) Ejusdem *Aeneae* Epistola invitatoria ad *Joh. Capistranum*, ut *Neostadio* ad sacros labores *Viennam* se conferat, data inde 1452. 5. *Jun.* sed rescribe 1451. Ἀνέκδοτος est, ut dixi *Vol.* I. P. 1. *col.* 517.

11) Claudit agmen Diploma *Friderici* III. Imp. quo *Aeneae Silvio de Picholominibus Senensi* Lauream poeticam decernit. *Fridericus Rex Romanorum &c. Notum facimus tenore presentium vniuersis. Vetustissimi presentisque eui tradunt Hystorie* &c. Commemorato *Julii Caes.* et *Augusti* Poetas colentium exemplo, usuque eos in Capitolio coronandi, quo ad *Petrarcham* adludit, ita prosequitur: *Animaduertentes etiam quod in desuetudinem jam abiit illa ipsa solempnitas, conuertimus aciem mentis nostre in poetam eximium et preclarum Eneam Siluium de picholominibus Senensem nobis et Imperio sacro deuotum, de cuius profunda scientia morum grauitate clarissimisque nature sue dotibus experimentum verax habemus — — tanquam sufficientem et dignum sedentibus nobis in nostro consilio Magistrum poetam et hystoricum eximium declarantes preclari magisterij*